1164 sui, Friderici ducis Moravie, exercitibus plurimis et maximis intrat Ungariam. A dextris et a sinistris et ante per longissima[a] terrę spacia nullus Ungarie incola invenitur. Omnes, quo quis poterat, fugerant. In conspectu enim eius tota tremebat Ungaria. Boemi plurimi, quibus hic amor erat, per Ungariam discurrunt, quę possunt rapiunt, innumerabilia armenta, iumenta abducunt, interficiunt, villas cum suis rebus conburunt.[1] Rex Ungarię, qui ultra flumen Tiza fortitudini Greci contraire formidans cesserat, tanta multitudine Boemorum sibi in adiutorium venientium audita[)] contra eos cum suis exercitibus progreditur cum Grecis pugnaturus obviam regi Boemie principibus suis missis. Ungari leti cum suo rege de tanto adiutorio regi Boemie occurrunt et eum pro tantis laboribus sibi gratias agentes in osculo pacis suscipiunt et,[)] ut tantum regem decet, honestissime tractant. Imperator Grecorum adventu regis Boemie et factis eius horribilibus auditis, si hoc verum sit, scire volens quendam

a übergeschr. P

) übergeschrieben P

) übergeschrieben P

1) Ähnliches Verhalten des böhmischen Heeres im verbündeten Land oben S. 38 geschildert.